QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS EXCVTIENDA

In Scholis Medicorum, die Iouis 23. Decemb. M. Ioanne Cousin Doctore Med. Reg. moderatore prudentissimo.

An Calor actionum omnium opifex?

NATVRALIS & organici corporis ἐντελέχεια est anima quæ vt cæteras, cum semine parentum infusas, includit, ita per corpus vniuersum omnium temperatissimum diffusa, tribus maxime se prodit facultatibus, quæ non solùm sedibus & instrumentis, sed etiam actionibus distinguntur. Sunt enim tot actiones, quot facultates, quibus edendis calor innatus omni animantium generi nedum homini perfectissimo, ab ipsâ naturâ tributitur, vt qui fuit eius genitor, eiusdem sit perpetuus conseruator.

QVAMQVAM verò actiones omnes ad ipsam animam tanquam ad fontem primarium referantur, tamen quia perfici nequeunt sine corporis instrumento; Medici sensibus addicti, easdem attribuunt partim facultatibus, sitis in partium temperamento, partim spiritui calido-ve innato (quæ duo sunt eadem origine & substantiâ) præcipuo naturæ organo, non enim quicquam præter hoc calidum ab initio finxit animal formauítque, non aliud postea ad iustam magnitudinem perduxit, nec denique ad finem vsque vitæ alit, ac sustentat.

FACVLTATVM prima tempore, & vsu, Naturalis est, omnium viuentium communis, quæ à Iecore, omnium humorum fonte, per venas, tanquam per tubulos, cum sanguine, & spiritu, in partes longè dissitas illabitur, cùm autem tria sint eius munia Generare Augere, & Alere: primum ad speciei propagationem, cætera ad indiuiduorum conseruationem sunt comparata, quæ suas actiones obire nequeunt nisi augeantur, neque augeri nisi nutriantur: sic Altrix ab initio ad mortem vsque hominem, nunquam otiosa, comitatur, vt fluxum triplicis substantiæ resarciat per alimentum, quod vi caloris tres necessariò subit mutationes, vt tandem nouam partium alendarum formam suscipiat.

EA igitur vis est caloris insiti, ab ipso semine oriūdi, vt quam procurat iacturam humidi primigenij, quotidie reparet, sicque vitam homini longiùs promittat, qui tamen, cùm sit dissipabilis, non potest diu persistere, nisi perpetuâ caloris alterius accessione foueatur, propterea calorem hunc, influentem vocant, quem hyeme augeri, & ex alimentis ad senium vsque perduci non est ambigendū, cui conficiendo præficitur Vitalis facultas, residens in Corde, viscerum nobilissimo & calidissimo, à quo non citra sanguinem per arterias in partes omnes diffunditur, vt earum facultates conseruet & ad proprias functiones obeundas impellat.

FACVLTATVM omnium dignissima, sed ægris minimùm necessaria, est Animalis, quæ à Cerebro, frigido humido, in totum corpus momento perreptat, cuius præcipuum instrumentum calor est siue spiritus animalis, omnium tenuissimus, nec multum radijs solaribus absimilis, quo per neruos meabiles transmisso, sensus, motúsque perficiuntur. Ritè verò in cerebri corpore contemperatò, functiones principes exercentur, hinc multiplices prodeunt actiones, sensus, qui fit patiente sensorio, motus, qui sensu illæso plerumque læditur, nec sine musculis perficitur, & triplex actio facultatis principis, quæ per totum cerebrum dispersa, nihil agit citra vtriusque caloris opem, nec vllius rei cognitionem habet quæ ab externis sensibus primam non duxerit originem.

Ergo calor actionum omnium opifex.

Asserebat GVILLELMVS DESDAMES Rothomagæus Anno 1610.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Joannes Cousin Med. Reg. Præs.
M. Hieronymus Goulu Prof. Reg.
M. Symphorianus Haultin.
M. Henricus Blacuod. Med. Reg.
M. Gabriel Biard.
M. Joannes De Gorris.
M. Franciscus Du Port.
M. Joannes Bëauchesne.
M. Joannes Haultin. Med. Reg.